

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIX.

M. LUDOVICO-CAROLO HALLOT,
Doctore Medico, Præſide.

*An quæ ſtatim à menſtruâ purgatione concipiunt, citiùs ** pariant?*

I.

UTERUS qui continendo perficiendoque fetui dicatus eſt, idcircò perpetuo ferè ſanguinis affluxu madeſcit, quamdiù ferendæ proli apta eſt muliebris ætas; ſanguis verò ut accommodatam effingendo alendoque fetui materiam præbeat, ſic muliere in utero non habente ſenſim illìc congeritur, nullo imperfectioris ſexûs aut frigidioris temperamenti argumento, ſed ſapienti naturæ conſilio hominum generi conſulentis: attamen ſi cæptis illa excidat, vim utero

* Prop. anno 1716.

** Id eſt feliciùs.

D

insevit, quâ humorem morâ accrescentem & quantitate, vel qualitate gravem statim effundit plures, si hæserit, tum animi, tum corporis morbos pariturum: indè fit ut nullâ expectatâ lunæ periodo, aliàs sæpiùs, aliàs infrequentiùs redeat quæ ferè dicitur menstrua mulierum purgatio, quam sola & singularis uniuscujusque natura promovet, dum sui sit juris; sicut motus omnes qui tempestivè humano in corpore cientur neutiquam vel soli, vel lunæ, aliisve syderibus referendi. Solemni autem, qui sit per uterum, humorum omnis generis secessu exhilaratur natura & quicquid demum muliebribus in locis meditatur, quo purgatiori in utero id elaborat, eò longè alacriùs & citiùs defunctura est..

I I.

CONCEPTIO actio uteri propria est, partus difficillima. Illa feminis arctiùs comprehensi insitam, & ab ipsis haustam parentibus vim formatricem exsuscitat, quâ mox successurus animus utatur ad disponendas domicilii sui partes quarum ipse Architectus est. Pluris verò in fetû refert quo primùm condatur in loco. Uterus materno sanguine diffluens semen non rarò extinguit, aut fetum imbellem ex eo generat, post tristiora longinquæ graviditatis fastidia cum suo tum fœtûs periculo nasciturum, quique originis vitium plures in annos servaturus est & puerilibus morbis acriùs conflictandus. Adveniente ejusdem purgationis tempore, si utero gerere cæperit mulier, haud multò meliùs conceptus fiet, nam semen prævio mensium muco obsita vasorum uteri orificia facilè dimittunt; sanguis autem cum eruperit rudem adhuc & teneram genituram subruet, atque fuliginoso in loco posita vix benè inchoati operis fundamenta, & quandiù uterus fluit nutantia moras naturæ objiciunt semine obruto languescenti, quæ adeò tardiùs longè plurimorum motuum seriem absolutura est, quò segniùs primos & præcipuos aggressa fuerit.

I I I.

STATIM à menstruâ purgatione, defæcato sanguine, calor & spiritus ubique puriùs emicant. Uterum hujus boni principem tùm si pupugerit veneris stimulus, ille avidiùs prolectum semen arctissimo complexu retinet & occluso ostio illicò uni studet adornando conceptui: tunc verò futuro homini natura sic providet, ut ab ipsis primordiis robur animumque ducat, quibus suo tempore uteri se vinculis liberabit. Eò enim omnia conspirant, & inclusum ut properet, artificem incitant, recenter eliminatis sordibus, optima uteri temperies nitentia ejusdem acetabula & apprehendendis fetûs conceptaculis maximè idonea. Utrique semini insidens spiritus genitor, eòque vigens magis, quò nitidiora illapsus in loca, confestim aulæa obducit affuturo mox inquilino, atque ex crast-

ſiori commixtorum ſeminum parte geminum parat fetui involucrum. Jam fervet intùs opus, & trina humanæ molis principia ſurgunt quæ ſervatâ primæ conſtitutionis vi, citiùs atque æquo paſſu ad finem progreſſa, vegetiorem prolem mox datura ſunt, & ſeptimo menſe naſcituram aut noni primis diebus.

I V.

TAMETSI quovis tempore mulier prolem ferre poſſit, etiam utero fetum jam grandiorem continente, ſua tamen conceptui, ſua quoque partui adeſt tempeſtivitas; utraque à diverſo uteri habitu repetenda. Nam cum ille ab omni expellendi conatu conquievit, & ita comparatus eſt ut facilè ſeſe contrahat, atque circà conceptam comprehenſamque materiam obvolvatur; tunc ferendæ proli aptiſſimum eſt tempus: contraria eſt ratio tam partûs quàm menſium. In his apertis paſſim oſtiis ubique laxatur uterus; in illo totum ſe effundit, ut omnes foràs protrudat: ſed hanc pariendi difficultatem multùm levare ſolet una res, ſi eodem tempore partus inſtat, quo, conſuetâ excretione, fluebat uterus, quod certè fieri non poteſt, niſi, illâ ſtatim elapſâ, mulier conceperit.

V.

MULTA partum accelerant & indictum naſcendi diem repræſentant, imprimis juvenilis ætas, quâ robuſta valensque natura, quicquid ſuperfluum eſt funditùs expellit, tamque curatum uteri ſinum præſtat, ut ſi ſemen eò inciderit confeſtim ali atque augeri neceſſe ſit. Adoleſcentularum, quia plerumque incertâ periodo menſes fluunt, imbecillior conceptus, tardior partus eſſe ſolet. Ætas provectior liberos generat μελαγχολικωτέρους, brevioris ævi, ſagacioris ingenii; & poſt longa geſtationis tempora, cunctanter ex utero prodeuntes. Tempeſtatum quoque viciſſitudini, cœli, ſolique diverſitati non levia inſunt momenta ad partum ociùs ſeriùſque edendum. Perflante Boreâ tam ad concipiendum, quam ad pariendum paratiores ſunt feminæ. Concreto ſub cælo, & humidioris plagæ incolis difficilior conceptus; diuturna geſtatio, abortus frequentior: ſed iſthæc omnia laborantis uteri non innoxia ſunt irritamenta, aut niſi maturo fetui ſuccenturientur, vana ſæpè incitamenta. Unius eſt naturæ, quæ cujuſque ortum ſemine atque menſtruo ſanguine incluſit, utriuſque motus omnes & progreſſus ſic regere, ut ſollicita matrum vota tam felici quam cito partu beaverit, cum optimè ſe habente utero prolem ſuſceperint: at nunquàm utero meliùs eſt quàm ſtatim à menſtruâ purgatione.

*Ergò quæ ſtatim à menſtruâ purgatione concipiunt, citiùs * pariunt.*

---

* Id eſt feliciùs

NOTULÆ.

Nonne; 1°. *utrique femini infidens fpiritus genitor* (§ 3) adhuc problema ?

2°. Inter futuræ longævitatis figna, primas apud H. BOHERRAAVE (*inft. med.* « §. 885). Tenet conceptus ex parentibus fanis, vegetis, plenæ ætatis, rarâ » fed fervidâ venere utentibus ». Porrò numquam fervidior venus quam ritè expurgato utero, nempè effluxis catameniis.

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Guillelmus-Jofephus DE L'EPINE, Antiquior Scholarum Magifter, Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Cenfor.

M. Guillelmus FUMÉE.

M. Auguftinus ROUSSEL DE VAUZESME.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Francifcus MARINIER.

M. Ludovic.-Carolus HALLOT, Actûs Præfes.

M. Joannes-Baptifta LE ROUX DES TILLETS.

M. Joann.-Armand. ROUSSIN DE MONTABOURG.

M. Natalis-Nicolaus MALLET.

M. Francifcus-Ludovicus THOMAS D'ONGLÉE.

Proponebat Parifiis PETRUS LASERVOLLE, ex agro Petrocorienfi; Doctor Medicus Monfpelienfis, Sereniffimi Comitis Atrebatum Confiliarius Medicus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus. A. R. S. H. 1779. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerfitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1779.